

rena aspiciens caelestibus monitis obtemperat, & ad asilum poenitentiae confugit. De quo multa Vide verb. Mors, Iudicium in Indice.

59.

Apocal. 6.

Ioachimus. Signa iudicij ad poenitentiam impellunt.

Describit Ioannes in sua Apocalypsi signa iudicij, stellae cadentes, caelum obscuratum, & totius terrae magnum terrorem: Et subdit. Reges terrae, & principes absconderunt se in speluncis, & in petris montium. Apocal. 6. num. 15. Cur reges, ac principes mundi, cum illius tot terrae motus, ac signa vident, non se armis muniunt, vel accingunt exercitu, militisque conuocant ad eundem in praedium, sed ad speluncas, ac petras montium confugiunt? Ioachimus Abbas sic in praedicta verba interpretatur. Possumus, ait, per speluncas accipere secreta, quae residua erunt Monachorum cubacula; per petras vero montium spirituales viros fidei perfectione robustos. Cur imminente iudicio ad cubacula monachorum, ac ad spirituales viros se recipient reges, principes, ac tribuni? Vt ibi poenitentia, ac reformatione praeteritae vitae tamquam munimine quoda, a terroribus, ac minacibus signis iudicij se custodiant, & defendant. Sic pergit citatus Abbas. Ad eos confugient multi poenitentiam accepturi intelligentes manifeste iudicium omnipotentis Dei, & quod vere Deus iustus sedeat super thronum ad iudicandum aequitatem.

Matth. 22. 11. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Num. 12. Et ait illi: Amice quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

VERSIONES.

- Syriacus. Ingressus autem Rex, vt spectaret discumbentes, intuitus illic hominem non indutum vestimentis coniuualibus. Pagninus. Vbi vidit hominem non vestitum. Arias. Non vestitum indumento nuptiarum. Syriacus n. 12. Et dixit ei: Socie mi, quomodo huc ingressus es, cum non habeas vestimenta coniuualia? Orig. hom. 20. Quomodo huc venisti? in Matth. Arabicus. Non est tibi vestis nuptiarum Arias. Ore oclusus est. Lucas Burg. Capistratus est.

EXPOSITIO V.



INTRAVIT autem Rex vt videret discumbentes. Vt eos aspiceret, examinaret, ac discernere, hoc autem fiet cum Deus venerit ad iudicium vniuersale in fine mundi. Vt docent Origenes, D. Chrysof. D. Gregorius, Albertus Magnus, & alij. Vidit

Origenes. Chrysof. Gregor. Albert.

ibi hominem. Palacios in praesenti ait: vidit vnum hominem. Vnum non in indiuiduo, sed coadunatione multorum. Nam hic homo non vestitus omnes malos, & ini quos significat, vt docent D. Augustinus serm. 147. de tempore, D. Hieron. Hugo, Carthusian. & alij; dicitur ergo vnus homo non indiuiduo, sed coadunatione multorum, sic enim iniqui in malum conueniunt, vt veluti vnum hominem efficiant. Vidit hominem. In hoc arguitur, quia cum homo esset, a natura, ac conditione hominis defecerat, prauisque moribus erat immeritus. Vel aliter explicat Palacios. Cur miser diuinis hominem miscuisti? Eo ipso quod ad vitae prandium adductus es, hominem exuisti: Christum induisti, vt iam non esses homo, vt reliqui homines: sed velut Christus, velut Deus. Nam cum esset ad Christi mensam debebat iam conditionem humanam deponere, & fieri velut Angelus, velut Christus, velut Deus. Sequitur textus. Non vestitum veste nuptiali. Arabicus veste nuptiarum, veste nempe nuptiis dignam, ac conuenientem, per hanc vero vestem nuptialem denotauit dico nouitatem vitae, nouum hominem, nouamque creaturam in Christo Iesu fieri.

Ait illi amice. Syriacus. Socie mi. Vt ostendatur, quod sententia quae a Deo profertur in impios non procedit ex odio, ac ex condemnationis studio, sed ex zelo iustitiae. Quomodo, quae nempe fronte, ac audacia. Huc intraisti. Recte notat D. Chylofom. homil. 61. ad populum: Non dixit, quare recubasti, sed cur intraisti? Ac si ipse ad templum mensamque caelestem ingressus, absque nuptiali vestimento vertendus illi sit vitio temeritatis, quapropter tenebris mandandus sit, de quo plura dicam quaest. 11. At ille obmutuit. Lucas Burg. legit ex Graeco. Capistratus est. Os illi clausum est quasi capistro, ac freno, tamquam si esset brutum animal rationis expertus, cum nec errorem suum fateatur, nec humiliter veniam postulet.

QUESTIO X.

Quare rex intrat vt per se ipsum videat discumbentes, & hoc ministris non committit?

NVS inter discumbentes stabat sordida veste indutus, & hic inuentus indignus conuiuio, non a regalibus ministris, nec a circumstantibus recumbentibus, sed solus ab ipso rege cum ingressus est videre conuiuantes; cur ergo solus Rex vidit hominem sordidum, & non alij?

Respondet primò D. Paschasius lib. 10. in Matth. Quia malos, ait, in conscientia intelligere, non omnium est, quoniam humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatae mentis potest deprehendere, idcirco nunc malum ceterum peccantium, quorum non erant peccata obiecta solus Deus terribilis, & Rex magnus inueniet. Cur solus Rex, & non ministri, vel conuiuantes voluit videre hominem sordidum? quia huiusmodi sordes, quibus homo coinquatur ab intimo animo, ab intimaque conscientia prodeunt, quae frequenter fraudulentia humana contegitur, & ideo ab humanis oculis fugit, & solis diuinis patet.

Secundò

Palacios.

August. Hieron. Hugo. Carthus.

Palacios. Qui ad Christi mensam accedit deponat conditionem hominum.

Arabicus

61. Syriacus.

Chrysof.

Burgens.

62.

63. Paschal.

Homini fraudulentiam ab animo prodepti, a solo Deo cognoscitur.

64. Paschal.

Hieron.

65. Paschal.

Iusti ex iniquorum consortio obfuscauntur.

66. Origen.

Dies festiuus, in quo iustus praematur, iniquus multatur.

67. Abulen.

Christi mensa replet gaudio.

Matth. 27. Psal. 45.

Proclus.

68.

Secundò ait citatus Paschal. Hunc malum ceterum peccantium solus Deus terribilis, & rex magnus inueniet. Hic homo sordidus in habitu omnes iniquos denotabat, vt, notat D. Hieronymus in praesenti. Vnus iste, omnes qui societate sunt malitia, intelliguntur: cum autem multorum malitia, ac nequitia sit vna, ac in vnum coadunatur, facile ita fugit ab humanis oculis, vt solum ab ipso Deo deprehendi valeat, cuius potentiae tantum est adunatos peccantium cuneos confringere.

Tertid. Sic pergit citatus Paschal. Et ideo quia hoc diuinum est discernere, sine additamento hominis, sicut & supra Rex ponitur. Cum intrat ad discernendum quoniam sint boni, vel mali, non dicitur homo, sicut supra, nec etiam ministri, sed solus Rex intrans videt hominem in sordida veste, sic enim ex consortio vnus deturpati omnes obtenebrantur, ac obfuscauntur, vt non ab humano oculo, sed solum a diuino intuitu discerni, ac iudicari valeat, quoniam sit in splendenti, qui sive in turpi habitu. Quartò. Non ministri, sed solus rex videt hominem indignum conuiuio. Aliter videt Dominus, aliter mercenarius; nam mercenarius non de bono ouium, sed de suo bono sollicitus est, & inde saepe multorum delicta dissimulat. At Dominus, totus ad bonum commune fertur, ideo perspicacibus oculis cuncta intuetur, & videt nil omnino dissimulans.

Quintò. Origenes homil. 20. in Matth. Ideo Rex ingreditur, ait, vt videat discumbentes, priusquam apponatur prandium paratum eis, vt videns retineat quidem habentes nuptialia vestimenta, atque delectetur, condemnet autem contrarios. Maxime festiuus, ac solemnus erat dies, utpote nuptiarum filij sui, & cum iam omnia essent parata, atque disposita, ac valde festiuè peragebantur, ad quid intrat rex conuiuium, vt videat discumbentes? Quia tam solemnus, ac festiuus erat dies ingreditur rex, vt iustos ad salutem retineat, peccatores vero in tenebras coniciat. Ille enim festiuissimus est dies, in quo innocentes praemio afficiuntur, nocentes vero poena multantur.

Sextò. Abulen. q. 33. Ingreditur Rex, ait, vt laetificaret epulantes, cum eis praesentiam suam exhiberet. In hoc conuiuio Tauri, & altitia occisa: corpus Christi exhibitum fidelibus in Sacra Eucharistia significatur. Et qui hoc diuino fereulo reficiuntur, ad ipsos intrat Dominus, vt eos laetificet, ac miro gaudio, & exultatione adimpleat. Cum Christus moritur in Cruce. Scribit D. Mattheus 27. num. 51. Terra mota est. Et hoc prauidens Psaltes 45. n. 7. ait. Dedit vocem suam, & mota est terra. Laetitia, ac gaudio perfusa terra, solemnem festiuitatem agit, veluti exultatione, ac voce. Quanam tanti gaudij causa? D. Proclus. Orat. 4. Diem festum agit terra, diuino abluta sanguine. Vbi se terra vidit participem diuini sanguinis magno gaudio diem festum agit, voce tantam saltu, ac exultatione tantam solemnitatem celebrat. De quo dixi plura verb. Eucharistia.

QUESTIO II.

Quare quem Dominus reprobatur, amicam vocat?

PRIMAM rationem huius rei, & litteralem iam dedi in expositione, vt ostendatur, Syluera in Euang. Tom. I V.

quod non ex odio, sed ex zelo iustitiae iniquum punit, & damnat. Secundò respondet Caietanus. Non contumeliosè, ait, increpat, non dicit: indigne, presumptuose, imprudens, sed amice: ad erudiendum nos, vt etiam in notorio facto non iudicemus inauditum, & examinemus absque contumelia, absque conuitio, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Non inimicum vocat, sed amicum, non dum eum condemnauerat, sed in iudicium vocat, conceditque illi tempus reddendi rationem sui ingressus sine veste nuptiali: Quomodo huc intraisti? vt & ex hoc nos discamus neminem inauditum reprobare, ac damnare. Vide supra cap. 15. n. 43. 44. & c. 28. n. 25. 26. 27.

Tertid. Ait citatus Caietanus. Examinemus absque contumelia, absque conuitio. Quod etiam prius eleganter notauit D. Gregorius homil. 38. in Euangel. Hunc amicum vocat, & reprobatur. Magnus, & sapiens Rex damnationis sententia percutiebat hominem, & tamen cauet aliquo percussione conuitio. Ecce magnitudo, ac celsitudo magnifici regis, qui hominem sibi infensum, ac aduersarium, verbis vrbanis, ac amicis excipit. Quam ingenuitatem in Romanis erga suos hostes deuictos, ac captiuos maxime extollit Quintilian. Declam. 3. Itaque, ait, plura penè moribus, quam viribus vicimus, cum captiuos quoque sancte habebantur, & contumelia etiam hosti aberat. Sicque Dauid cum audisset verba iniuriosa, quae in eum coniecerat Nabal, parat in ipsum vindictam. Si reliquero de omnibus, quae ad ipsum pertinent usque mane iungentem ad priorem: 1. Reg. 25. n. 22. tamen nil contumeliosum in eum dicit. Frustra seruauit omnia, quae huius erant. n. 21. utpote generosus princeps poenam parat, a contumeliis tamen cauet.

Galfridus apud Titelman. Allegorias. Sanè, ait, propter Sacramentum amicum vocat, cuius propter peccata habitum culpatur. In rege isto adumbratur Deus; hominem sordida veste indutum appellat amicum, cum potius inter hostes esset annumerandus; cum ergo ingressus esset conuiuium, in quo Eucharistiae Symbolum celebrabatur, inde locus ille dedicatus erat paci, ac iniuriarum obliuioni proinde humaniori sermone vsus, non propter conuiuii hominis meritum, sed ob loci reuerentiam, cui debitum erat, vt nec verbis quibus quidem hostile aliquid, & vltioni cognatum exerceretur; vnde subdit rex: mittite eum in tenebras exteriores. Quamuis enim iustitiae dispositio sit, vt eo loco poenae exoluantur, vbi delictum commissum est, tamen ob pacis loci reuerentiam, non plectitur in conuiuio palatio, in quo deliquerat ingrediens sordida veste, sed mandat Rex extra aulam rapi, & mittere in tenebras exteriores.

Celebrata institutione Sacrae Eucharistiae in caenaculo. Pergit Iesus ad hortum Gethsemani; Tunc venit Iudas, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus. Matth. 26. n. 47. Ad comprehendendum Iesum. Cur non in caenaculo, sed in orto comprehenditur? Caenaculum propter institutum Sacramentum pacis arthabonem acceperat, turba multa venerat cum gladiis, & fustibus. Quae sunt certa belli, ac discordiarum signa, quae omnino locus paci consecratus non admittebat, & ideo hortus destinatur, vt a Iuda tradatur, D. Paschal. lib. 12. in Matth. Nec enim conueniebat, vt eo loco traderetur Iesus, vbi cum Discipulis Pascha manducabat: sed talis eligitur locus, per quem iste mundus significetur, in quo Dominus traditus est.

Y Y y 2 Quintò.

Caietan. Nemo in auditis con-demmandus.

69. Caietan. Gregor.

Alienum ab ingenio contumeliam in hostes iactare. Quintilian.

1 Reg. 25.

70. Galfridus.

Eucharistia Sacramentum pacis, & reconcilia-tionis.

71.

Matth. 26. Caenaculum locus Eucharistiae hostilia signa non admittit.

Paschal.

72. Deum diligit hominem, odit peccatum.

August. Psalm. 82.

73. Psalm. 155.

Deum homines diligit, vias peccatorum detestatur.

Chrysof.

74. Genes. 49.

Deuter. 32.

Genes. 35.

Non in hominem, sed in peccatum fertur maledictio.

Ambros.

Quintò. Amicum vocat, cum inimicus existeret, ingressus enim fuerat fordida veste, ut ostenderetur, quod in illo oderat peccatum, diligebat ramentum naturam. Vnde D. Augustinus lib. 50. homiliar. homil. 34. ponderans verba illa Psalm. 82. rum. 17. Imple facies eorum ignominia, & quereant nomen tuum. Sic ait S. Doctor: An oderat eos, quorum facies ignominia implere cupiebat? Respondet: Imò odit, & amat. Odit tua, amat te. Odit quod fecisti; amat quod fecit Deus. Quæ sunt enim tua, nisi peccata? Et quid es tu, nisi quod fecit Deus, hominem ad imaginem, & similitudinem suam.

Ait Regius Vates Psalm. 145. num. 9. Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos, Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. Valde diuersimodè loquitur in præsentia Propheta, cum de beneficiis agit, personas exprimit, & numerat; at verò cum ad peccatores conuertit sermonem, vltionemque proponit non ad ipsos peccatores, sed ad eorum vias, actiones, & modos punitionem refert; & vias peccatorum disperdet. Detestatur enim Deus non homines, sed eorum peccata, peccandique causas. D. Chrysofotomus ad prædictum locum: Non dixit, ait, disperdet peccatores, sed viam ipsorum, hoc est eorum actionem: non enim auersatur naturam, sed odio habet vitium.

Moriturus Iacob maledictionem imprecatur filio suo Ruben: Effusus es, sicut aqua non crescas, Genes. 49. num. 4. Moyses verò eidem benedictione blanditur. Viat Ruben, non moriatur, Deuter. 32. num. 6. Vnde tanta differentia inter concordantes Patriarchas, qui ab Spiritu sancto regerantur? Iacob considerauit filij delictum. Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Inde in ipsum peccatum maledictionem fulminat. At Moyses respexit eximiam pietatem Ruben in Ioseph, qua ipsum nitebatur liberare de manibus fratrum suorum, Genes. 35. num. 21. Regit diuinus Spiritus Iacob, ut maledictionem conuiceret in peccatum Ruben, non verò in ipsum hominem, sed ipsum præteruehitur, quod ut fiat euident, cum in eo aliquid bonum apparet, illud benedictionibus cumulatur. Vnde D. Ambrosius explicans verba Psalmi 118. Iniquus odio habui. Serm. 21. ait: Odio habet sanctus iniustitiam, non iustum, qui potest sape conuerti, nec mortuorum reliquias, sed mortuam iniquitatem execratur, & fugit, quomodo enim excusaretur vir iste Euangelica viuens disciplina, si iniquos homines odisset, nisi intelligens, quod iniquitatem odio habuit.

QUESTIO XII.

Quare arguitur homo, quod sine veste nuptiali fuerit ingressus?

75.

PRIMò. Vestis nuptialis est vestis pulchra, & decora conueniens nuptiarum maiestati, per illamque significatur vita pura, sancta, & aliena ab antiquis peccatorum fordibus, & omnium virtutum splendoribus adornata, ac composita, quam Apostolus Rom. 13. num. 12. vocat arma lucis. Et Rom. 6. num. 4. ait: Quod in nouitate vite ambulemus. Et ad Ephes. 4. num. 24. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Ad Galat. 6. num. 15. Nonquam

Rom. 13. Rom. 6. Ad Ephes. 4. Ad Galat. 6. Ad Colos. 3.

creaturam. Quod ipse magis explicat ad Coloss. 6. num. 12. Induite vos, ait, sicut Dei electi, sancti, & dilecti, viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c. Super hac omnia autem charitatem habete. Arguitur ergo hic homo, qui sine hac veste omnium virtutum ingressus est. Origenes homil. 20. in Matthæum: Arguit eos, ait, quasi qui male fecerint, eo quod aui sunt in huiusmodi nuptias introire, non recipientes digna nuptiis indumenta, id est texturam virtutum, claram vestem. Valde detrimentosum est cum antiquis fordibus domum cælestis regis velle ingredi, ac in domo Dei ea retinere vitia, quæ in mundo habebas.

Secunda sententia est citati Origenis, Tertuliani lib. de Resurrectione carnis, Chrysofotomij in Imperfecto homil. 41. D. Ambrosij serm. 14. de Natali Domini, D. Gregorij homil. 38. in Euangel. D. Hieronymi, Theophylacti, Euthymij, D. Thomæ, & aliorum, qui dicunt vestem nuptialem esse charitatem, cum virtutibus, ac operibus correspondentibus Christianæ fidei, & rectè quidem, per fidem enim fit ingressus in Ecclesiam, per charitatem cum bonis operibus exornatur anima, ut digna sit accedere ad Christi mensam; & hæc sententia eadem est cum superiori. Vnde ait Theophylactus: Quis est iste, fordida vestimenta gerens? Is, qui non indutus est viscera misericordie, fraternitatem, benignitatem. Nec solum ad nuptias eicitur, sed in signem mittitur. Qui benignitatis expertus est, qui nescit fratri parcere, eique indigenti subuenire, salutis ornatu caret, & ad cælesti mensa excluditur, ac in tenebras eicitur.

Tertiò. D. Augustinus lib. 21. contra Faustum cap. 19. ait: Quod potuimus, ait, de veste nuptiali, ut demonstrarem quantum esset nefas sacras nuptias adire, querentem sibi gloriam non sponsi, sed suam. Damnatur homo, & ceteri poena quod sine veste nuptiali ad nuptias venisset; accessus ad conuiuium utilitas erat ingredientis, nuptialis verò habitus honorem deferebat nuptiis, ad quas ob sui magnam reuerentiam sine multo ornatu non decebat conuenire. Meritò ergo damnatur iste fordidus, qui solum suum commodum, non autem nuptiarum honorem curabat; nullus sane magis reprobandus, quam ille, qui solum suam gloriam, non verò gloriam cælestis sponsi querit.

Quartò. D. Hilarius ad hunc locum: Vestitus, ait, nuptialis est, gratia Spiritus sancti, & candor habitus cælestis, qui bona interrogationis confessione susceptus, usque in cæterum regni celorum immaculatus, & integer persenerat. Præpondera verba, Vestitus autem nuptialis est candor habitus cælestis. Quisnam erat vestitus iste nuptialis, quo miser iste homo carebat? est candor vitæ speciem quandam, ac odorem cælestis patriæ referens, ut iam exinde ostendatur, quod homo ad cæleste regnum pertineat, qui candorem simplicitatis, ac puritatis vitæ in suis actionibus exhibet.

Quintò. Cur arguitur hic homo eo quod non esset vestitus veste nuptiali, cum serui Domini vocauerint ad nuptias, bonos, & malos? Verum est quod serui hos omnes ad nuptias vocauerunt, tamen cum inuitati fuerunt, debebant omnes se componere, & adornare, ut condigne ad regale conuiuium ingrederentur, quia satis notum erat, quod rex illud pro suis, & non pro pluribus, pro amicis, & non inimicis parauerat; vnde meritò fordi

Origen.

76. Origen. Tertull. Chrysof. Ambros. Hieron. Theophyl. Euthym. D. Thom.

Qui benignitatis expertus est, qui nescit fratri parcere, eique indigenti subuenire, salutis ornatu caret.

77. August.

Damnatur ille, qui non Dei, sed suam gloriam querit.

78. Hilari.

Iustus quandam speciem refert cælestis patriæ.

79. Dei dona communicantur suis electis, & non alienis.

80. Cant. 4.

Prou. 5.

Dei dona parent suis, & alienis conclusa sunt.

Bernard.

81.

Gen. 27.

Gen. 48.

Rupert.

82.

Culpa comprimunt os.

Sap. 4.

83. Cyrill.

fordibus arguitur, qui cum habitu esset alienus ingrederetur conuiuium, quod à rege præparatum erat, solum pro suis, & non alienis.

De Dei sapientia decantatur. Hortus conclusus, fons signatus. Cant. 4. n. 12. Quomodo fieri potest, ut pro laude dicantur huiusmodi aquæ conclusæ, & signatæ? Cum Proverb. 5. num. 12. dicatur. Deriuantur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solum ne sint alieni participes tui. Illic decantantur aquarum conclusio, & signatio, hic verò petitur earum deriuatio, ac communicatio vsque adeo ut per plateas currant. Si ergo communicandæ, & diuidendæ sunt vsque ad plateas, ad quid ob signatio, & conclusio? Cælestes aquæ, Deique dona omnibus sunt communia, & parentia vsque ad plateas, eis tamen qui se præparant, & earum digni efficiuntur, nam illis, qui se indignos exhibent, sunt hortus conclusus, fons signatus. Et ideo dicitur citato Proverb. loco. Ne sint alieni principes. Proindeque Dei donationes parentissimæ sunt suis, maxime verò alienis ob signatæ, & conclusæ. D. Bernard. serm. 1. de Purificatione Mariæ. Deriuantur, ait, aquæ tuæ foras Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, & non bibit alienus ex eo.

Post benedictum Iacob, maxime recusabat Isaac benedictionem impendere alteri filio suo Esau. Et tibi post hæc ultra quid faciam? Gen. 27. n. 37. E contra verò Iacob duodecim filios suos, duosque suos nepotes benedixit. Gen. 48. n. 15. Benedixit Iacob filius Ioseph. Cur Iacob tam largus in benedictionibus impendendis pro filiis, & nepotibus, cum Isaac benedicto vno filio, benedictionem alteri dare maxime detraxerit? Esau Isaac filius augendus erat in populum, qui minime pertineret ad Dominum. At verò Iacob filij, & nepotes omnes constituti erant in vnum populum, in vnamque Dei possessionem, ac partem; indeque filij Iacob, ac nepotes ostendebantur apti, ut diuinis benedictionibus adimplerentur, cum ad Dei populum spectarent, à quo diuisus erat Esau, & ideo Pater eius benedictionem recula bat. Rupert. lib. 9. in Gen. c. 22. Filij Isaac, ait, in duos erant populos diuidendi: plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in vnitatem paternam fidei, Deum verum, & vnum hereditate possessuri, vel ab ipso erant possidendi. Expende illa: ab ipso erant possidendi.

QUESTIO XIII.

Quare cum arguitur homo quod esset ingressus sine veste nuptiali, omnino obmutescit?

VM interrogatur homo, quare ingressus est sine veste nuptiali, at ille obmutuit, seu illius os clausum est, tantique mali conscius nihil potuit dicere, ipsa eius culpa manifesta, ac nota os obturabat, & comprimerebat, ut nihil posset dicere, nec vllam excusationem afferre. Disrumpet illos inflatos sine voce. Sap. 4. n. 20. sicque illi omnis excusationis via præcluditur, ut nec voces quidem relinquuntur. Vide supra. cap. 17. n. 21, 22, 23.

Secundò. D. Cyrillus Ierosolymitan. in Præfat. ex ore Regis sic fatur. An ignorabat quali amictu ingrediendum esset ad conuiuium? sit ita Salyceira. in Euang. Tom. IV.

ne. Sed cum iam intraueras: vidisti splendida discumbentium vestimenta, nonne te oportuit vel ex his, quæ cernebas, discere? Tuber ministris, ligate pedes illius; at ille obmutuit. Cum interrogatur homo, quare sine veste nuptiali ingrederetur, obmutescit; cum contra se audit prolata sententiam: ligatis manibus, & pedibus. Eriam obmutescit; Cur pro se aliquam rationem etiam non profert? Quod homo fordibus intrasset aliquam excusationem inaduertentiæ, vel ignorantia potest habere; at quod ibi maneret videns cæteros conuiuias splendens indumentis ornatos, & eorum exemplo non fuit admonitus, ut sibi consuleret pro condigno vestitu comparando, nullam potuit pro se adducere rationem, cum omnino inexcusabilis sit, qui ante oculos habet aliorum virtutes, & tamen ad eorum exemplum non se componit.

Tertiò. Galfrid. apud Tilman. allegorias. Tunc, ait, Rex ministris, ligatis manibus, & pedibus, &c. Tunc videlicet non ubi ille veste nuptiali introiit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri. Ingreditur rex conuiuium, & intuitus pannolum præter morem nuptiarum, non statim eum damnat, sed benignè ab eo querit, quomodo huc intrasti sine veste nuptiali? At ille obmutuit; non perditur miser, qui male intrauerat, & inique sedebat, sed quando obmutuit, & peccatum suum palam confiteri recusat, damnatur ergo non tam ob vestis defectum, quam potius ob negatam oris confessionem. Mors, & vita in manibus lingue, ait Sapiens Proverb. 18. n. 21. Lingua enim si peccata confiteatur, vitam; si verò abscondat, mortem infert.

Reuelata Domino viam tuam, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Psalm. 36. n. 5. Reuelata Domino, seu ut legunt D. Ambros. D. Aug. Ad Dominum, viam tuam, peccatorum nempe tuorum per confessionem. Et ipse faciet gratiam, misericordiam, ac indulgentiam, ut explicat Hugo. Sed cur hæc gratiam, & misericordiam faciendam, & impendendam non exprimit? Vbi est confessio peccatorum, tanta gratia, & indulgentia impenditur à Domino, ut nequeat vllis verbis aperiri, ac explicari; sed solum quandam consequentiam ponit: Educet quasi lumen iustitiam tuam: tuam iustitiam, virtutem, ac probitatem nitere, ac resplendere faciet, veluti Sol, ac lux meridiana nitet, ac fulget. D. Ambros. ad eundem Psalmum. Hoc solo versiculo, ait, qualis esse debeas, declarauit. Quis enim reuelat viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitrio interna sui pectoris confiteatur? Vide supra cap. 19. n. 90. 91. & 92. & c. 26. n. 98. 99. 100. & c. 27. n. 119. 120. 121.

Matth. 12. Tunc dixit Rex ministris: num. 13. ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

Num. 14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

VERSIONES.

Vatablus num. 13. Vincitum pedibus, & manibus suis eicite in tenebras exteriores.

Inexcusabilis est, qui inter aliorum virtutes non emendatur.

84. Galfridus.

Damnatur qui peccata non confitetur.

Prou. 18.

85.

Psal. 36. Ambros. August.

Hugo.

Ambros.